



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel  
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt II. Leo a Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

Dissolu-  
tur ratio  
dubitandi

quā moti Can.lib. 12.de locis.cap.9. Sā in summa,  
verbo Heresi, num. 1. & alii citati à Diana part. 2.  
truct. 16.resol. § 1. affirmarunt dubium in fide in-  
fidelem non esse. Sed pro hujus difficultatis solu-  
tione sciendum est, præsentem textum procede-  
re in dubio, seu dubitante voluntariè, & delibe-  
ratè; qui enim dubius & scrupulis involuntariis  
impeditur, sicut non peccat, ita nec fidem amittit,  
qua sine peccato non destruitur, ut docent au-  
tores suprà laudati; & hujus rei manifestum ar-  
gumentum est, quod scilicet nec ipse errans per  
errorem involuntarium, & inculpabili in fide  
infidelis sit, ut patet in rusticis negantibus plu-  
res fidei veritates ex ignorantia inculpata, qui  
non ideo infideles sunt. Si ergo sic errans involun-  
tariè, & materialiter, ut Theologi loquuntur,  
in fide infidelis non est, à fortiori nec dubius, seu  
dubitans inculpatus, vel quia per motus primò pri-  
mos, & indeliberatos dubium occurrit, vel etiam  
quia non satis ipsi proposita est ei fidei veritas,  
de qua dubitat. Deinde sciendum est, dubium in  
fide dici, qui circa aliquam veritatem, qua per  
fidem Catholicam credenda est, sive primaria, si-  
ve secundaria, sive directa, sive indirecta illa sit,  
dubius fuerit, nec enim requiritur ut de tota fide  
dubitetur, quemadmodum errans in fide dicitur,  
qui vel uni solum fidei veritati dissentit. Qui ergo  
circa quamcunque veritatem sufficiens propon-  
it ut credenda per fidem Catholicam dubius  
fuerit, is verè dicetur dubius in fide, & juxta  
textum hunc infidelis erit. Deinceps sciendum  
est, dubium in significatione propriâ cum non  
dici, qui quomodo cumque suspendit assensum fi-  
dei; nam cùm præceptum fidei non obliget pro  
semper ad credendum sine ullo peccato, con-  
sequenter, quin fides amittatur, homo fidelis potest  
assensum cohibere: ulterius ergo requiritur ad  
verum dubium aliquis actus; si enim mera sus-  
pensionis actus non sufficit, jam in hoc dubio actus  
includitur: quod probatur, nam dubius opponen-  
tur certo, ut omnibus in comperto est ex ipsa vo-  
cis notione: sed omnes fideles certi dicuntur in  
fide, etiam quando actum credendi non elicuntur,  
sive quia non advertunt, ut in somno, amentia,  
seu animi diversione; sive quia etiam advertentes  
cum videant se non obligari ad actum creden-  
dum, cum omittunt: ergo per omissionem, seu  
suspensionem utecumque actus fidei non dicitur  
quis dubius. Quod etiam nobis constat ex fide  
humana; non enim quis dicitur dubius de dictis  
alterius eo præcisè, quod actu ad ipsum non at-  
tentat, assensumque actualem ipsi non præstet,  
volens se ad alia divertere. His suppositis jam  
accedam ad præsentis textus expositionem: Du-

bis in fide aliquem aetum positivum dicit, sive  
directum, sive reflexum; vel ergo per talen aetum  
dicit exprefse mysterium fidei esse dubium, & sic  
manifestè opponitur veritati fidei; nam fides  
Catholica docet mysteria revelata non esse dubia,  
sed certa, & infallibilia; jam vero si talis actus po-  
sitivus dicit mysterium a Deo revelatum esse du-  
bium, eo ipso asserit, posse non esse ita ut revela-  
tur à Deo, posseque alter euenire: ergo talis a-  
etus sic dubitans hereticus est. Si vero aetus non  
directè de ipso mysterio revelato, sed de ipso ho-  
mine credituro, vel etiam de ipso assensu præstan-  
do reflexè affirmet dubium esse, etiam hereticus es-  
tit, & resistens veritati fidei; nam fides docet  
omnem assensum procedentem ex ea infaillibilem  
esse, idemque censendum est de actu, quo quis  
dubitaret de motivo credendi, ita ut putare,  
quod forte motivum fidei deficeret potest; nam cum  
motivum sit revelatio Dei, hoc esset revelatio-  
nen Dei fallibilem putare, quod hereticus est. Igitur omnis actus, qui necessariò intercedit  
in dubio culpabilis, & deliberato, contradicit ali-  
cu veritati fidei, & consequenter est hereticus,  
constitutusque hominem infidelem.

Sed instabis cum auctoribus negantibus du-  
bium in fide esse infidelem, fidem amitti non possit  
sine actu positivo opposito: rectè autem  
contingere posse dubium culpabile sine ullo a-  
etu; nam qui in aliquo casu, in quo ex præcepto  
fidei tenetur assentire positivè fidei, & non assen-  
titur, peccat etiam nihil contrarium ponat, ut  
patet in aliis peccatis pure omissionis; ergo tunc  
mera suspensio, seu dubium etiam sine ullo actu  
invenitur, quin fidem defruat, seu infidelem  
constitutat. Respondetur cuius ex suprà traditis,  
talem suspensionem peccainosam quidem esse,  
sed si non oriatur ex aetibus positivis dubitanti-  
bus, non facere hominem dubium; nam bene  
stat talis suspensio cum eo quod quis simul apud  
se statuat: Si elicerem assensum exempli gratia de  
Trinitate, infaillibilem elicerem: quemadmodum  
rectè stat, me judicare alium actum præceptum  
esse justum, & sanctum, & adhuc à me suspendi.  
Nequit autem quis dici dubius in fide eo præci-  
sè, quod fidem præceptam non eliciat, ut suprà  
dixi. Unde inferatur, Authores negantes per du-  
bium amitti fidem, intelligendos esse de dubio  
ipso formalis, & suspensivo pure; Authores vero  
affirmantes intelligi de dubio in causa, quando  
felicitè quis suspendit assensum, eo quod positivè  
dubitetur, modo suprà explicato. Prosequitur la-  
tius Thomas Benus de offe. Inquisit. part. 1. du-  
bit. 13.

## CAPVT II.

Leo <sup>a</sup> Papa.

**D**E qua re quintidecimi capituli sermo conqueritur, & præsumptionem diabol-  
icam meritò detestatur; quia & nos istud veracium testium relatione compe-  
rimus, & multos corruptissimos eorum codices, qui canonici titulantur, inveni-  
mus. Quomodo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam  
melle prælinenter, ne usquequaque sentirentur in sua via, qua essent futura morti-  
fera. Curandum ergo est, & sacerdotali diligentia maximè providendum, ut falsa-  
ti codices, & à sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. Apocry-  
phæ

phæ autem scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminariū falsitatum, non solum interdicendæ, sed etiam penitus auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ. Quamvis enim sint in illis quædam quæ videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione seductos, laqueis cujuscunque erroris involvant. Vnde si Episcoporum, vel apocrypha haberet per domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices in Ecclesia permiserit legi, qui b<sup>is</sup> Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se non verit judicandum: quoniam qui alium ab errore non revocat, scipsum errare demonstrat.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> LEO.) Ita etiam legitur in prima collectio-  
ne, sub hoc tit. cap. 2. sed inscriptionem, &  
litteram restitu ex ipsis epistolis Leonis, ubi  
epist. 93. cap. 15. reperiuntur verba hujus textus  
pro ut ea in praesenti transcribo. In praesenti Leo  
scribit Turibio Episcopo Asturicensi, seu Au-  
sturiensi; sed cum tres Turibii sita, & miraculis  
claris floruiscent in Hispania illis quarto, & quin-  
tæ seculis Ecclesiæ, videamus de quo Turibio in  
praesenti agatur, cum omnes hæresim Priscillia-  
nistarum aquæ damnaverint, unde facilè confun-  
duntur ab scriptoribus. Et unus fuit notarius  
nostræ Leonis, & postea Episcopus Bracharenſis,  
de quo Julianus Archipresb. in chron. anno 454.  
num. 247. ait: Per hac tempora Turibus sancti Leo-  
nis primi Notarii, patriæ Brigantium, factus mona-  
chus post longas peregrinationes secum multas addu-  
xit reliquias: ad Galliciam reverfus scribit ad Idacium,  
& Spaniam; Idacium, in quam, Episcopum Bracha-  
rensem, ut illi consulant miserrimo Gallicia statui, re-  
pullulante tunc Priscillianistarum hæsi. Qui quidem  
Pontifices præcederunt in Concilio Tolitanus, Legati  
Leonis. Cujus Notarii etiam meminit Lucetus  
Episcopus Bracharenſis in exordio Concilii  
Bracharenſis 1. apud Loaysam fol. 116.  
ibi: Credo autem vestra beatitudinis fraternitatem  
nosse, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandissi-  
ma Priscilliana scœla venena serpebant, Beatus  
Papa urbis Roma Leo, qui quadragesimus fice exitit  
Apostoli Petri successor, per Turibus notarium Sedis  
sue ad Synodus Gallicia contra impiam Priscilliani-  
scam scripta sua direxit. Secundus fuit Turibus  
monachus Benedictinus, & Episcopus Palentini-  
nus, de quo Julianus in chron. anno 545. num. 248.  
ait: Turibus Monachus, cui anno Domini DXXXVI.  
decederat habitum monasteria: post factus Episcopus Pa-  
lentinus. Hoc anno maledicti Palentini infelix hæsi  
Priscillianistarum, & Fluvius Nevis dictus, Cadron.  
vulgo, civitatem ipsam inundavit. Marcus Maximus  
in chron. anno 931. fol. 183. ibi: Turibus mona-  
chus, ad quem scripsit Montanus Pontifex Tolitanus  
è monacho Benedictino fit Episcopus Telenſis, vel Pa-  
lentinus. Tandem tertius fuit Turibus Asturicen-  
sis Praeful ad annum usque 454. de quo  
ita legitur apud Julianum Archipresb. anno  
454. numero 230. Sanctus Turibus Asturicensis  
Episcopus hoc anno moritur. In Martyrol. Roma-  
no, die xv. Aprilis ita habetur: Palentia sancti  
Turbi Episcopi Asturicensis, qui ope Sancti Leonis  
Papa hæsi Priscilliani ex Hispania penitus pro-  
fligavit, clarisque miraculis in pace quievit. Ubi ex-  
pungendum est verbum Palentia, jam notavit  
Taymo à Salazar tom. 2. Martyr. Hispan. die 16.  
April. Videbunt Sandoval in historia sancti Antonii Palentini, §. 4. fol. 25. D. Antonius Speleta  
in fundatione Eccles. Asturic. numer. 64. Loysa in  
notis ad Concil. Tolet. 2. Marquez in orig. Herem.  
D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

cap. 10. §. 2. Acunna in Hist. Brachar. lib. 1. cap.  
§7. Huic sancto Turibio scribit Leo in pre-  
senti, ut aperte constat ex C. M. S. Ecclesia Astu-  
ricensis edito à Tamayo *suprà*, ubi ita habetur:  
Fuit igitur hic Beatus vir, sicut compertum vera-  
citer habemus, natione Hispanus, Galicia regionis in-  
digens, Asturicensis civitatis Episcopus, cultor verus  
Dei, contemptor sui, religionis amator, catholica veri-  
tatis assertor, idolatriæ subversor, & errorum vali-  
dus expugnator: præcipue Priscillianorum detestabili-  
lem hæsim, qua tunc temporis in Hispania velut pe-  
sifer morbus serpentem non solum diversarum urbium  
populos pestifer à leprâ maculaverat, verum etiam  
(quod magis dolendum est), quorundam sacerdotum,  
qui Ecclesiam Dei regere videbantur, corda invaserat,  
per quos aliorum error tollendus erat, non sequendus,  
nisi quo valuit, condemnavit, & auctoritate Leonis  
Pape, qui eodem tempore Romana Ecclesia præcerat,  
toto viribus expurgare curavit. Cum itaque præfatus  
Leo Papa pastorali sui regiminis curâ ad diversarum  
Provinciarum Episcopos epistolarum suarum dirige-  
ret scripta, inter ceteros huic Beatisimo viro Turibio  
tunc temporis Asturicensi Episcopo quandam episto-  
lam universos errores Priscillianistarum sexdecim ca-  
pitulis continentem, destinare curavit. Quâ epistola  
acceptâ, protinus Romani Pontificis mandata ad debi-  
tum executionis fastigium perducere desinavit, ex  
quo aliqua Concilia in totius Hispania finibus indicta,  
sacrilega Priscillianistarum dogmata condemnarunt,  
& Beatisimi Leonis doctrinam ut Catholicam, &  
ab universalis Ecclesia capite dimicata, totius visceri-  
bus ampliè sunt. Quo evenit, ut per aliquam tem-  
poris intercedentem flagitiosa hæreticorum perfidia  
delitesceret.

<sup>b</sup> Priscilliani.) Priscillianus Hispanus, fami-  
lia nobilis, dives, acer, facundus, eruditus, pravo  
studio corripit optimum ingenium: dum effet  
laicus, & hæsi infectus, Abula Episcopus  
clam factus est: ex omnium hæreticorum sentina  
hæsem haustit, ut refert Severus Sulpitius lib. 2.  
sacræ historia, in fine. De hac hæsi Priscilliani sta-  
rum extat consultatio Orofū ad Augustinum,  
& ejus ad Orosium eruditissimum responsum,  
& damnata fuit hæsi hæsi in duobus Conciliis  
Galleciæ, & Tarragon. memineruntque ejus Vi-  
gilii Papa epist. 1. cap. 1. Concil. Brachar. 1. in  
princip. & can. 5. & 6. 7. 13. & 17. quorum verba  
refert Ant. August. in epit. juris lib. 11. tit. 36. &  
regula fidei contra ipsum repetita fuit in Concilii  
Tolet. I. & Brachar. I. quia pullulante ite-  
rum hæsi nova exstirpatio adhuc adiuberi de-  
buit.

## COMMENTARIUM.

3.

**G**enerale est axioma, videlicet cum quis potest alios ab errore retrahere, & non revocat, scipsum errare demonstrat. Probant textus in cap. error, cap. consentire, 83. dist. cap. qui consentit, 11. q. 3. cap. qui potest, 23. q. 3. cap. præterea, 23. q. 8. cap. tam sacerdotes, 24. q. 3. cap. si ea 50. 23. q. 4. cap. quanta 47. de sentent. excom. cap. 3. eod. tit. lib. 6. cap. sicut dignum, §. illud, de homicid. I. scientiam, ff. ad leg. Aquil. l. 2. §. 1. cum. l. 2. & 4. ff. de noxal. l. 6. ff. de re milit. & fane paremali est, & decantatum illud Seneca in Troade: Peccare qui non prohibet cum potest, jubet. Cui congruerit, sciteque consentiunt Plato in suis legibus, lib. 9. ad finem: quia & quod punire vult, qui aliorum injurias cum prohibere posset, non prohibet, ac is qui fecit. Carnotensis epist. 137. Nec caret nayo suspicione occulta, qui manifesto facinori destituit oblivia. Castrodorus lib. 2. var. cap. 36. Arnobius lib. 2. advers. Gent. Caim non prohibendo quod oportuerat prohiberi, cessationis crimen fecerit proprium, & retentionis dissimulatione permiserit prius. Et lib. 4. cap. 28 Quisquis patitur peccare peccantem, si vires subministrat audacie. Silvianus lib. 7. de provid. ibi: Potestas quippe maxima, & potentissima, qua inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari, in cuius enim potestate est prohibere si non prohibet, ea profecto jubet agi, que non prohibet adimpleri. Seneca in Hercule Furente: Qui non vetat peccare, cum posit, jubet. D. Greg. lib. 32. Moral. cap. 5. Inflammantur quippe corda justorum, cum non corupta conspicuum acta malorum, & eorumque culpa se pariceps credunt, quod iniquitates crescere

filendo permittant. Alia in candem sententiam cùmulant Tiraquel. de paenit. cas. 44. Valenzuela contra Venetos, p. 5. num. 136. Marquez lib. 1. Gubern. Christ. cap. 30. §. 3. M. Magerus de advocat. armat. cap. 14. num. 153. P. Greg. lib. 2. de republie. cap. 1. Cabreros de Avendanno de pena tripli, cap. 1. Solorzanus de parvici. lib. 1. cap. 1. & tom. 2. de jure Ind. lib. 4. cap. 5. num. 6. & emblem. 70. Amaya in l. 3. num. 16. C. de can. largit. lib. 10. Ill. D. Franc. Ramos in syntag. de Episcopat. Lufit. propos. 3. num. 75. Sed cum in praesenti non agatur de quoquaque errore, sed de errore fidei, ut ex integra textus constat, de eo tantum differendum est, & discrimen est constituendum inter personas, quae haereticos non revocant ab erroribus, & puniunt, quibus id competit ex officio, ut sunt Episcopi, & Inquisitores, quibus specialiter exstirpatio haeresis commissa est, ut sine detrimentum fidei catholice negligentes fuerint in inquirendis, & puniendis, haereticis a deo severè puniendi sunt, ut ab Episcopali dignitate, & officio amoveantur, cap. excommunicamus, el. 1. §. volumus, hoc tit. & inter eas quibus ex officio id non competit, ut sunt careri fideles, qui tenentur sub poena excommunicationis haereticos denuntiare, iuxta constitutionem Gregorii IX. quam refert Penna p. 2. Directorii, in praesenti. Nec licet prius ut correctione fraterna, seu charitativa monitione, quae in aliis delictis precedere debet, iuxta tradita in cap. qualiter, de accusat. docet Penna in praesenti, & plura de hac denuntiatione congerunt Santarellus de hec est cap. 9. dub. 5. Suarez de fide cap. 20. sect. 4. num. 11. Casrena de officiis Inquisit. p. 2. tit. 9. §. 4.

## CAPVT III.

## a Augustinus de Fide

**F**irmissime tene, & nullatenus dubites, omnem haereticum, vel schismaticum, quamvis multas eleemosynas faciat, vel etiam pro Christo sanguinem fundat, cum diabolo, & angelis ejus aeterni ignis incendio participandum, nisi ante finem hujus vita Catholica fuit incorporatus & b redintegratus Ecclesia. Et post pauca: Omni enim homini, qui Ecclesia Catholica non tener unitatem, nec c baptismus, nec Eleemosyna, quantumlibet copiosa, neque mors d pro nomine suscepta Christi, proficere poterit ad salutem.

## NOTÆ.

a) **A**ugustinus.) Ex eodem Sancto citantur hæc verba ab Anselmo lib. 8. in fine Decreti, Ivone p. 1. Decreti, cap. 4. & 39. & in 1. collect. sub hoc tit. cap. 3. & reperiuntur verba hæc inter opera D. Augustini in lib. de fide ad Petrum Diaconum.

b) **E**t redintegratus.) Nam dum pertinax est in ipsa haeresi, extra Ecclesiam est, ut probat Ric-

ciulus lib. 3. de jure person. cap. 2. quare nullo modo ante reconciliationem decedens salvati potest,

c) **B**aptismus.) Antea ab eo suscepimus, alias haereticus non esset, ut probavi supradictum cap. 1.

d) **P**ro nomine Christi.) Sed falso, & cum errore suo, ut contingit aepius Luteranis, & Calvinistis, qui comburi patiuntur non abjurato suo errore, immò pro ejus defensione; unde credunt pro Christi nomine martyrum pati, quod illis nullomodo prodest.

## CAPVT